



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Hvmanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthvmæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Qvæstio XVIII. De Voluntate Christi . In sex Articulos diuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Potuit existere in rerum naturâ per diuinam existentiam?

Solutur.

Respondeo, Quia existentia non supponit rem constitutam in rerum natura, & in ratione entis actualis; sed ipsamet constituit illam in eo statu: vnde est inseparabilis ab illa, quamdiu illa manet res creata in rerum natura existens. Sicut omnis forma est inseparabilis à re, quamdiu manet eius effectus formalis. Subsistentia autem est modus essentia, supponens illam constitutam in rerum natura, solumque illam modificat: talis autem modus separari potest, & nisi quid aliud obstat, aliunde suppleri.

2. Obiectio.

Dices Secundò, In Christo est tantum vnicum esse; vt docet D. Thomas: ergo tantum vnica existentia: ergo &c.

Solutur.

Respondeo, In Christo est tantum vnum esse, scilicet completum, seu vnum esse personale; vt scilicet D. Thomas expressè addit tum hic, tum q. 19. a. 1. ad 4. hoc autem est esse increatum. Accedente autem naturâ humanâ, solum huic esse accedit quædam relatio; vt inquit D. Thomas.

3. Obiectio.

Dices Tertio, Quia alioquin Christus haberet duo esse substantialia; ac proinde esset simpliciter duo: quod est falsum.

Respondeo, Concedo Christum habere duo esse substantialia; sed alterum completum, nempe esse diuinum; alterum secundum se incompletum, nempe esse humanum, quod tamen per diuinam hypostasim completur. Non tamen ideò Christus est duo; nam est vna hypostasis, imò & vnum ens sine imperfectione compositum. Non possunt autem dici duo, nisi sint duo supposita; vt supra dictum est.

4. Obiectio.

Dices Quarto, Si humana natura in Christo haberet suam existentiam creatam, vnio diuinæ naturæ cum humanâ esset accidentaria, non substantialis: quidquid enim aduenit enti in actu, facit vnum per accidens.

Solutur.

Respondeo; Solum sequitur non esse vnionem essentialem quâ fit vnica natura: non autem substantialem quâ fit vna persona. Nam ad vnionem substantialem satis est, vt ad aliquod substantiale complementum duo vniantur: quomodo etiam membra corporis inter se vniantur. Atqui Verbum diuinum ita se coniunxit humanæ naturæ, vt daret illi formaliter complementum substantiale, efficeretque vnum subsistens perfectè, supplendo quod deerat ad perfectam subsistentiam hominis.

Q V Æ S T I O X V I I I.

De Voluntate Christi.

In Sex Articulis diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum in Christo sint duæ Voluntates?

1. Variæ hereses circa Christum.

Respondetur Affirmatiuè, In Christo esse duas Voluntates.

Notandum est, Præter eos qui in Christo tantum vnâ naturam esse dicebant, qui etiam necessariò vnâ dumtaxat ponebant voluntatem, vt sunt Cerinthus, Ebion, Carpocrates, Photinus, Paulus Samosatenus; qui tantum humanam naturam Christo tribuebant: Itè Valentinus, Cerdon, Marcion, Manichæus, Apollinaris, Eutyches, qui veram humanam naturâ in Christo negabant: fuisse alios hæreticos, qui duas quidem naturas, humanam & diuinam faterentur in Christo; tamè negabant duas voluntates, maxime quoad actus, sed solam ponebant diuinam: vnde dicti sunt Monothelitæ. Incepit autem horum error circa annu 630. à Cyro Alexandrino Episcopo, vt inquit Damascenus lib. de heresibus sub finem; quem secutus est Sergius Episcopus Constantinopolitanus, & aliquot eius successores per annos 50; & Macharius Antiochenus. Quidam putant Honorium I. qui illis temporibus erat Pontifex Romanus, in eodem errore fuisse. Ita Canus lib. 6. de locis cap. 8. & alij plurimi recentiores & Doctores Scholastici. Sed multò verius est Honorium numquam in hoc errore fuisse: imò valdè probabile est nullum vquam Romanum Pontificem fuisse hæreticum; quod bene defendit Albericus Pighius lib. 4. Eccles. hierarch.

Monothelitæ vnâ solam in Christo ponebant voluntatē.

Honorius Papa vniuersaliter dicitur.

cap. 8. & lib. 6. cap. 11. & Bellarmius contrauersâ de Pontifice.

Quia verò hi hæretici ponebant in Christo voluntatem diuinam; nobis tantummodo probandum est in ipso etiam fuisse voluntatem humanam, tam quoad actum, quàm quoad potentiam. Sic enim constabit in ipso fuisse duas voluntates; quod quærebatur.

2.

Sunt duæ in Christo voluntates.

Probatur ergo Primò, Ex Scripturis: Matthei 26. v. 39. *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Lucæ 22. v. 42. *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Ioan. 6. v. 38. *Nô veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me.* Quibus locis distinguit Dominus suam voluntatem à voluntate Patris: loquitur enim de actu voluntatis humanæ, non absoluto, sed conditionato & inefficaci: atqui voluntas diuina Christi non erat distincta à voluntate Patris: ergo præter diuinam habebat aliam. Deinde ad Philip. 2. v. 8. & ad Rom. 5. v. 19. & ad Hebr. 5. v. 8. tribuitur Christo obedientia: atqui obedientia est actus voluntatis creatæ.

Ex Scriptis.

Probatur Secundò hæc veritas ex Concilijs: Quia definita est in VI. Synodo Generali quæ expressè contra hunc errorem est congregata; vbi actione 4. eadem veritas copiosè probatur ex Scripturis & Patribus in epistola Agathonis Papæ. Definita etiam est in Concilio Lateran. sub Martino I. à can. 10. vsque ad 17.

Ex Concil.

Probatur Tertio Ratione. Primò, Quia Christus perfectam naturam humanam assumpsit; vt supra q. 2. & 6. ostensum est: ergo non caruit voluntate. Nam hæc vis naturaliter comitatur animam rationalem, sicut & intellectus. Quod si potentiam, etiam actum habuit; cum nulla sit

Triplici ratione.

I i iij ratio,

ratio, cur eo debuerit carere. Secunda, Si in Christo propter unicam personam, esset unica voluntas; in Trinitate, propter tres personas, essent tres voluntates; ergo quod voluntas sit vna vel plures, ex natura non ex personâ æstimatur. Ita Agatho Papa in Epist. sua. Tertia; Quia sine voluntate creata non potest esse meritum, nec satisfactio, nec oratio, nec obedientia: hæc enim omnia sunt actus voluntatis creata.

ARTICVLVS II.

Vtrum in Christo fuerit Voluntas Sensualitatis: id est, Appetitus Sensitiuus?

Respondetur affirmatiuè. Ratio est; Quia Christus habuit perfectam Animam; ergo omnes animæ potentias. Atqui inter ceteras animæ potentias est appetitus sensitiuus, qui nobis cum brutis est communis ad bona sensibilia appetenda, & mala his contraria fugienda.

ARTICVLVS III.

Vtrum in Christo fuerint duæ Voluntates Rationales?

Respondeo; Si voluntas accipiatur pro potentia, tantum unica voluntas rationalis creata fuit in Christo; sicut & in nobis. Si accipiatur pro actu, sic duæ fuerunt in Christo voluntates; id est, duo genera actionum voluntatis, nimirum Intentio & Electio: seu, Voluntas vt Natura; & Voluntas vt Ratio.

Pro quo nota; Duplicia esse bona & mala. Quædam enim sunt bona, quia consentanea naturæ; vt Vita, Benè esse, Sapientia, & similia. Quædam mala, quia naturæ dissentanea, vt mors, Cruciatu, &c. Respectu horum bonorum & malorum, est voluntas naturalis; diciturque natura. Nam naturaliter afficitur huiusmodi bonis, & abhorret à talibus malis. Sic Christus voluntate naturali fugiebat mortem, & appetebat viuere; non quod iste motus in Christo præueniret iudicium rationis, aut erumperet necessariò; sed quia voluntas sibi relicta, naturaliter & necessariò abhorret à morte, & afficitur vitæ. Alia sunt bona vel mala, quia consentanea vel dissentanea rectæ rationi: & respectu horum dicitur voluntas rationalis. Hac voluntate volebat Christus mori, quamuis naturali fugeret mortem. Vide quæ diximus 1. 2. q. 6. a. 1. de Duplici acceptione Voluntatis, & ibid. q. 10. a. 1. Quomodo moueatur Voluntas quæ natura, & Voluntas quæ Voluntas.

ARTICVLVS IV.

Vtrum in Christo fuerit Liberum Arbitrium?

Respondetur Affirmatiuè. Ratio est; Quia in ipso fuit electio, quæ est actus liberi arbitrij.

Pro Maiori explicatione, suppono Primò, Li-

bertatem arbitrij consistere in quadam indifferenti potestate voluntatis, secundum quam, ipsa in omni instanti, tum temporis, tum naturæ, quo consideratur vt prior suo actu, est indifferens ad illum, ita vt possit illum elicere & non elicere. Vnde quidquid voluntatem præueniendo determinat ad actum, repugnat libertati, si illam determinationem voluntas non habeat in sua potestate. De quo plura 1. 2. quæst. 6. art. 2. Dub. 1. in Disput. Apologetica de gratia efficaci & libero Arbitrio c. 5.

Suppono Secundò, In Christo non fuisse liberum Arbitrium ad peccandum: quod patet ex dictis supra q. 15. a. 1. dub. vnico, vbi ostendimus Christum nullo modo potuisse peccare in natura assumpta. Ratio est; Quia libertas quatenus se extendit ad peccatum, non est perfectio, sed imperfectio; vt docet Augustinus lib. de Corrept. & gratia cap. 11. & de Prædestinat. Sanctorum c. 15. Nam præcisè consistit in negatione scilicet in eo quod est non esse suam regulam, nec suæ regulæ necessariò coniunctum. Atqui hæc imperfectio non erat in Christi voluntate: hæc enim erat firmissimè coniuncta suæ regulæ, scilicet voluntati diuinæ; partim per visionem & amorem beatificum; partim per diuinam custodiam debitam illi ob vnionem hypostaticam. His positis

Respondeo, Christum habuisse verè & propriè libertatem in suis actionibus, quas salutis nostræ causa obiuit: v. g. in orando, docendo, miraculis faciendis, imò & in ipsa morte amplectenda. Est fide tenendum: & consentiunt omnes Doctores.

Probat ex Scripturis. Isaia 7. v. 15. *Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum*: vbi Cyrillus notat, reprobare malum fuisse Christo naturale, non ex electione; sed voluntatem bonorum, ex electione liberâ: electio enim est actus liberi arbitrij. Isaia c. 53. vers. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit*: qui modus loquendi in Scriptura libertatem significat; vt ibidem notat D. Hieronymus. Ioan. 10. v. 18. *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eam*: vbi apertè indicat esse in seia potestate animam ponere eo momento quo ipsi videretur; nec vllâ vi eam posse sibi extorqueri; vt docet Chryostomus hom. 59. in Ioan. Vide etiam Gregor. lib. 24. moral. c. 2. Et Anselm. l. 1. *Cur Deus homo*. cap. 9. & 10. vbi id fusè & eleganter probat; & lib. 2. cap. 15. 16. 17.

Probat Secundò, Ratione. Primò, Quia alioqui Christus non posset mereri, nec pro nobis satisfacere: nam de intrinsecâ ratione meriti, est libertas; vt ostensum est 1. 2. q. 114. Secundò, Quia libertas circa honesta, est magna perfectio naturæ rationalis: vnde etiam in Angelis & Deo reperitur. Atqui in Christo fuit omnis perfectio humanæ naturæ: ergo &c.

Sed contra hanc veritatem, sunt quatuor difficiles Obiectiones. Prima est ex prædefinitione diuinâ: Omnes enim actiones Christi videntur à Deo fuisse prædefinite cum suis omnibus circumstantijs: Nam hic modus prouidentie est altior. Quod confirmatur ex D. Thoma lib. 4. contra Gentes cap. 36. vbi ait: *Christus humanâ voluntate nihil voluit, nisi secundum quod eum velle diuina voluntas disposuit; iuxta illud: Ioan. 8. v. 29. Quæ placita sunt ei, facio semper.*

Respondeo, Quidam nobis tales prædefinitiones ob-

⁴
Voluntas vt
est Natura,
& vt est
Ratio.

Duplicis
generis bo-
na & ma-
la.

Fuit in
Christo Vo-
luntas na-
turalis.

Item Vo-
luntas Ra-
tionalis.

³
In quo
consistat
libertas
arbitrij.

Libertas
ad peccand.
est imper-
fectio.

⁶
Fuit liber
in actioni-
bus nostris
salutis.

⁷
Obiectio
à Prædefi-
nitionibus.

nes ob has & similes rationes inuenerunt, quæ dupliciter intelligi possunt. Primò, vt Deus sic omnes bonas actiones prædefinierit omnino absolute, non habitâ ratione præscientiæ conditionatæ. Et sic intelligi non potest quomodo non tollant omnem libertatem, & inducant absolutam necessitatem; iuxta sententiam Caluini: vt ostensum est 1. p. q. 19. a. 3. &c. in disp. de Prædestin. sect. 2. Ratione 8. Secundò; vt prædefinierit bona opera suppositâ præscientiâ conditionatâ, quâ Deus præscit quid liberum arbitrium sit facturum, si tali tempore, loco, & modo moueatur. Quæ sententia etsi non tollat libertatem, tamen eam multum constringit: nam circa singula opera omnesque circumstantias ponit singularissimam Dei prouidentiam & curam, vt hoc potius fiat, quàm illud, quod est ei æquale vel melius.

Quod autem ad Domini actiones attinet, videtur satis incredibilis hæc sententia.

Primò, Quia non decebat tantam Sapientiam, quæ sine tale præscriptione poterat cognoscere quid & quomodo in singulis euentis esset operandum, ad istas minutias arctari: scilicet vt tali tempore & loco coram talibus deberet facere hoc miraculum, non illud; circa hanc personam, non illam: hic & nunc docere, non ibi: hic & nunc dormire, comedere, loqui &c. Vide hæc latius deducta in Disput. de Prædest. Christi sect. 3. n. 38. & 39. Dices, melius est dirigi à regula increatâ quàm à creatâ. Respondeo; verum est ceteris paribus; si videlicet vtraque regula sit extrinseca: Sed si regula creata sit intrinseca & infallibilis, latissimeque patens, & omnem rectitudinem penetrans; melius est & nobilior ab hac dirigi, quàm ab extrinsecâ præscriptione voluntatis diuinæ gubernari. Illud enim est & à seipso regi, & etiam à Deo: Nam regula illa creata est perfecta participatio regulæ increatæ.

Secundò, Quia Christus totâ vitâ suâ in omnibus operibus quâdam necessitate constructus fuisset, vt absolute nec aliud, nec aliter, nec alio tempore, loco, occasione facere posset, quàm fecit: quia spectato diuino auxilio & ordinatione circa ipsum, non poterat aliter facere, quàm esset præscriptum; maximè eum hanc Dei ordinationem & præscriptionem clarè videret: contra quam velle niti, fatuum fuisset.

Tertiò, Quia hæc sententia parum videtur consentanea Scripturis. Quomodo enim verum est, quod ipse poterat rogare Patrem pro duodecim legionibus Angelorum, si videbat prædefinitum à Patre, vt non rogaret? Item quomodo verum: Filius, quos vult, viuificat: si omnes præscripsisset illi Pater? Item quomodo habebat potestatem ponendi animam, si momentum iam erat illi præscriptum, quo debebat ponere? In his & similibus potentia illa fuisset valdè remota, & inutilis ad vsû.

Neque verum est, Hunc esse altioem prouidentie modum: nam præstantior est ille modus, quo rei que subest prouidentie, datur ea sapientia quâ sibi possit de omnibus suis actionibus prouidere.

Ad testimonium D. Thomæ: vult is dicere Christum nihil voluisse nisi consentaneè dispositioni diuinæ, quâ Deus disposuit vt redimeret, & doceret homines.

Obijciunt Secundò, Ex vnione hypostatica. Nam Christus ratione vnionis hypostatica, seu

ratione auxiliij debiti ob vnionem, ita erat determinatus ad bonum, vt non posset peccare; vt supra q. 17. a. 1. ostensum est. Ergo eo instanti quò præceptum affirmatiuum vrgebat, non poterat omittere opus præceptum; omittendo enim peccasset: ergo tunc non liberè operabatur.

Respondeo, illum liberè implese præceptum, quia poterat præuenire illud momentum, in quo præceptum affirmatiuum vrgebat; non enim id obligat pro omni momento, sed pro certo: potest enim quis habere voluntatem liberam seruandi præceptum ieiunij, vel Sacri, vel confessionis, vel Eucharistiæ antequam executio vrgeat; & ex vi huius voluntatis exequi: siquæ tota actio libera erit.

Dices; Quid si ponamus aliquod præceptum ei datum, quod acceptandum fuerit eodem momento quo datur: Sicut valdè probabile est de præcepto redimendi Generis humani per mortem suam; quod videtur omnino ei propositum fuisse in ipso momento Conceptionis, & eodem momento acceptandum: Si enim tunc non acceptasset: peccasset: ergo acceptatio illa erat necessaria.

Respondent quidam, illum necessariò acceptasse; sed hanc necessitatem non tollere libertatem, eò quòd sit necessitas ex suppositione, scilicet diuini præcepti. Sed contrà; quia sapè necessitas ex suppositione tollit libertatem: nempe quotiescumque suppositio non est in potestate voluntatis, & eâ positâ necessariò sequitur opus: vt dictum est in Disputatione Apologet. De gratia efficaci c. 3. num. 15. Atqui hæc suppositio præcepti diuini, non erat in potestate voluntatis humanæ ipsius Christi; & eâ positâ, necessariò acceptabat; vt illi volunt: ergo non liberè.

Secundò, Alij respondent, illum necessariò acceptasse in genere, non tamen hoc vel illo actu consensu: & ita etsi consensus erat necessarius secundum speciem & confusè, tamen in indiuiduo erat liber: quia poterat hunc vel illum indiuiduū consensum præstare. Sed contrà; Nam illa libertas quæ tantum est ad indiuiduos actus consensu, nihil ad mores facit: parum enim refert an hoc vel illo indiuiduo actu consentias, quando in confuso non est in potestate omittere consensum. Ideò enim laudem mereris, quia facis opus tantæ bonitatis, cum absolute possis non facere: non autem quia hoc indiuiduum potius quàm illud. Deinde, quando voluntas per suppositionem aliquam perfectè determinatur, non relinquunt libertas vel ad indiuiduos actus: quia quod hoc indiuiduum potius eliciatur quàm illud, prouenit ex circumstantijs, cum quibus ipsa voluntas determinatur.

Tertiò, Alij respondent, illud acceptasse necessariò quoad substantiam actus, non autem quoad intentionem vel finem extrinsecum; & ita actum quoad hæc fuisse liberum. Sed contrà; Quia substantia actus non potest fieri sine aliqua intentione: ergo aliquis saltem gradus intentionis erat necessarius. Deinde; actus non fuisset meritorius secundum substantiam, sed solum secundum aliquos gradus liberos: quod non videtur dicendum; nam tota illa acceptatio meritoria erat.

Respondendum est igitur: Christum omnino liberè in illo primo instanti, quo præceptum proponebatur illud acceptasse. Ratio est, quia præ-

Dupliciter ea intelliguntur.

Christi actiones non sunt prædefinitæ.

Melius est dirigi à regula intrinseca creatâ, quàm ab extrinsecâ increatâ.

Dissona Scriptura.

Matth. 26. v. 53.

Ioan. 5. v. 21.

Ioan. 10. v. 18.

Non importat altiorè Prouidentia modè.

Explicatur D. Thomas.

2. Obiect. ab vni me hypostatica

Acceptatio præcepti an fuerit Christo necessaria.

1. Responso.

Refellitur.

2. Responso.

Refellitur.

3. Responso.

Refellitur.

Veræ resp. p. 100.

Præceptum non necessitabat.

Neque etiam vllum auxilium necessitabat.

Christus potuit non acceptare præceptum quantum erat ex dispositione sua voluntatis, non autem absolute.

Obiectum. Ex Amore beatifico.

cisâ visione beatificâ, neque præceptum illud, neque vllum auxilium ipsi ratione vnionis collatum, determinabat ipsius voluntatē ad acceptationem rei præceptæ. Non præceptum ipsum; quia solum proponebat voluntatem diuinam circa mortem ab ipso acceptandam pro redemptione hominum: quæ propositio, sepositâ visione beatificâ, non necessitat, nec determinat voluntatē, quia non est propositio clara summi boni, vel eius quod necessariò cum possessione summi boni coniunctum est. Neque etiam vllum auxilium necessitabat; quia Deus proponens Animæ Christi hoc præceptum, ita excitabat eius intellectum, & afficiebat voluntatem per gratiam præuenientem, sicut nouerat eam liberè consensuram: nouit enim ipse per scientiam conditionatam, quid vnaquæque voluntas, quouis tempore vel momento esset operatura, si cum tali obiecto & circumstantijs inuitaretur ad consensum. Vnde facile ei est, cum vult, efficere vt voluntas hîc & nunc consentiat, & tamen liberè consentiat: nempe dando ei talem excitationem & affectionem præuenientem, cum qua præciebat voluntatem liberè consensuram.

Dices; Si in acceptatione talis præcepti Christus manebat liber: ergo poterat non acceptare, ac proinde peccare. Confirmatur; quia is dicitur liberè aliquid facere, qui ita facit, vt possit omittere; ergo si liberè acceptauit præceptum, poterat non acceptare.

Respondeo; Vt dicatur liberè consensisse seu acceptasse præceptum, sufficit vt quantum erat ex dispositione voluntatis, potuerit non acceptare: non autem requiritur vt absolute potuerit non acceptare. Et ita non sequitur, quod potuerit peccare. Pro quo Aduerte; voluntatem Christi dupliciter posse spectari. Primò, secundum se, & intrinsecam suam dispositionem. Secundò; vt suberat custodia suæ personæ. Priori modo poterat consentire & non consentire. Posteriori, fieri nõ poterat absolute, vt non consentiret. Actus autem dicitur liber respectu voluntatis secundum se & intrinsecam dispositionem consideratæ: & ideò simpliciter verum est, quòd Christus liberè consenserit; quia poterat non consentire, si intrinsecam voluntatis dispositionem spectes. Similiter verum est, quòd non poterat peccare; quia extrinseca custodia illi debita, hoc impediabat.

Obijcitur Tertio, Ex parte amoris beatifici. Christus enim necessariò amabat Deum, necessariò etiam amabat suam beatitudinem: ergo etiam necessariò volebat omne id, quod ad diuinum amorem, & ad conseruandam beatitudinem est necessarium: quicumque enim necessariò vult aliquem finem, eadem necessitate vult media ad illum finem necessaria. Atqui omnes Christi actiones erant necessariae ad amicitiam diuinam, & ad conseruandam beatitudinem. Nam vel erant præceptæ; & sic patet fuisse necessariae ad conseruandam diuinam amicitiam: præceptum enim facit, vt actio sit medium necessarium. Vel non erant præceptæ; & ex his illæ quæ maximè pertinebant ad Dei gloriam, erant necessariae ad diuinam amicitiam; quia Christus necessariò amabat Deum summo & perfectissimo modo: ergo etiam necessariò volebat quicquid magis ad ipsius gloriam pertinebat: hoc enim in omni negotio probè nouerat.

Respondeo, Non omnes functiones Christi tales erant, vt necessariam haberent connexionem cum diuino amore, ita vt, nisi hoc momento, & his circumstantijs fierent, læderetur summa illa cum Deo amicitia: quia, vt num. præcedenti dictum est, præceptum non vrgebat pro omni momento; & antequam vrgebat, poterat liberè implere. Et quamuis faceret semper id quod sciret Deo gratissimum pro illo tempore; non tamen ideò determinabatur necessariò ad vnum aliquod opus; quia fieri potest vt multa sint equalia & Deo aequè grata. V.g. cum orabat, orabat quidem perfectissimè; sed varijs modis, id fieri poterat: scilicet gratiarum actione, laude, postulatione: idque rursus variâ ratione.

Addo; Si concedamus aliquam functionem fuisse hîc & nunc necessariam ad diuinum amorem; dicendum est talem functionem dupliciter posse spectari. Primò, Quatenus habebat necessariam connexionem cum diuinâ amicitia. Secundò, quatenus in sua specie habebat rationem talis vel talis virtutis.

Priori modo, acceptabat illam necessariò: cum enim necessariò amaret Deum, & clarè videret hunc amorem nõ posse consistere sine acceptatione rei præceptæ, eadem necessitate determinabatur ad illius acceptationem. Nec enim credibile est, quòd quidam dicunt, amorem beatificum fuisse cohibitum, vt non determinaret seu inclinaret voluntatem, nisi ad ea, quæ Deo sunt intrinseca, non autem ad aliquod obiectum extrinsecum: tùm, quia iste amor fuisset redditus inefficax & imperfectus; tùm, quia contra naturam amoris finis est, vt non determinet voluntatem ad electionem medijs necessarijs; tùm denique, quia nihilominus voluntas per illum amorem sic cohibitum, mansisset determinata in actu primo ad rem præceptam; ita vt, ex intrinsecâ dispositione non posset contrarium: scilicet nolle acceptare, aut suspendere acceptationem. Neque dici potest, quod per miraculum hoc potuisset: quia Deus non præbet vim supernaturalè contra præceptorum obseruationem. Neque est Simile, quod adferunt de gaudio beatifico, quod cohibitum est ne redundaret in Appetitum inferiorem. Quia electio medijs necessarijs, ita manet ex amore finis, vt efficiat cum eo vnum actum, habeatque vnam rationem formalem, & sit in eadem potentia. Gaudium autem beatificum, & illud quod oritur in Appetitu inferiore, non censetur vnum, nec sunt in eadem potentia, & ratio formalis est diuersa. Neque carentia gaudij in illa parte, scilicet appetitu inferiore, erat contra diuinum præceptum: sicuti contra illud erat non acceptare quod Deus mandat. Quare fatendum est, Animam Christi hac ratione necessariò acceptasse re præcepti, scilicet mortem.

Verum, Posteriori modo, poterat rem illam acceptare liberè alio actu; nempe propter intrinsecam bonitatem operis præcepti: verbi gratia, quia actus obedientiæ; vel quia salutare hominibus: vel etiam propter finem extrinsecum; vt propter honorem Patris &c. Quod Confirmatur: Primò, Quia etsi Anima Christi amabat Deum amore necessario, nempe beatifico, qui sequebatur visionem; poterat tamen etiam actus liberos diuini amoris elicere, qui dirigebantur scientiâ infusâ: ergo similiter etsi necessariò acceptaret præceptum

Reflexio. Nob omnia Christi actiones erant eius modi vt nisi fieret, læderetur Dei amicitia.

Eadem actio Christi dupliciter potest considerari.

Primò, vt necessaria.

Amor beatifico an in Christo cohibetur.

Reflexio simile de gaudio beatifico prohibito ne redundaret in Appetitum inferiorem.

Secundò, vt liberè.

ARTICVLVS V.

Verum voluntas humana Christi fuerit omnino conformis Voluntati diuina?

præceptam ex vi amoris beatifici, tamen poterat etiam acceptare liberè sub aliâ ratione, & ex vi amoris liberi. Neque hæ acceptationes erant eiusdem speciei: quia acceptatio necessaria tendebat in rem præceptam sub ratione boni necessarij ad diuinam amicitiam: acceptatio autem libera dirigebatur per scientiam infusam, & non tendebat in opus, tanquam in bonum necessarium; sed in tale, cuius electionem posset omittere: satis enim erat ad præcepti expletionem altera acceptatio. Confirmatur Secundo, Quia in alijs rebus, ad quas necessariò determinati sumus, experimur nos actu libero eas posse acceptare: vt mortem, captiuitatem, & similia: cur non etiam eas, ad quas voluntas determinata est? Nec obstat, quod ille actus non videatur efficax, eò quod sine eo res fieret: quia ex parte sua efficax est, & sufficiens qui opus faciat, etiam si aliunde nulla esset eius necessitas. Itaq; Dominus etiam actu libero mortem acceptauit, quamuis aliunde eam necessariò acceptaret. Neque hic actus est reflexus, sed directus in ipsum obiectum: non enim solum vult liberè illum necessarium consensum in mortem, sed etiam ipsam mortem.

Obijcitur Quarto, Ex præuisione futurorum. Nam Christi Anima à primo instanti suæ conceptionis, videbat omnes functiones, quas erat obiturus in vitâ, omnesque modos, & circumstantias illarum: ergo voluntas eius neque aliud, neque aliter poterat velle facere, quàm intellectus videbat illam facturam: ergo voluntas erat omnino determinata ab intellectu.

Respondet, Visionem illam Christi, quatenus terminabatur ad futuras ipsius actiones, dependisse ab usu libero voluntatis humanæ. Non enim idèo Christus illas actiones erat obiturus, quia illas præuidebat: sed contrâ, idèo illas præuidebat, quia aliquando erat illas facturus. Talis itaque suppositio, cum omnino ab ipsa libertate pendeat, libertatem non tollit; alioquin euertetur suum obiectum, atque adeo seipsam. Confirmatur; Nam si idèo Anima Christi videt suas actiones, quia illæ futuræ sunt: ergo secundum rationem prius est illas esse futuras, quàm illas esse visas: atqui secundum hanc rationem futuræ erant liberæ: ergo à visione, quæ ratione est posterior, non accipiunt necessitatem: Nam ipsius libertas per visionem illam videtur: ergo non destruitur. Ratio est, Quia visio illa, vt versatur circa actus futuros, nullam habet vim in voluntatem: vnde non magis tollit libertatem, quàm visio futurorum in Deo, tollit libertatem actionum nostrarum: Est enim intuitio purè speculatiua, supponens secundum rationem ipsas actiones futuras cum omnibus suis modis & circumstantijs.

Nec obstat, Quod illâ visione posita, infallibile sit actus illos esse futuros: quia hoc non prouenit ex eo, quod voluntas à visione determinetur; sed potius ex eo, quod voluntas per suas actiones futuras visionem determinat. Secus est de visione, quâ quis videt decretum diuinum, quo Deus decreuit vt sic opereris: quia decretum illud, est causa, cur sic sis operaturus; & visio illius decreti ad hoc voluntatem determinat; ita vt sine peccato non possit velle nitiâ contrariâ.

Respondetur, Christus secundum Appetitum sensitium & voluntatem naturalem, poterat aliud velle quàm Deus (intellige, affectu simplici & inefficaci) v. g. non pati, non mori: Secundum voluntatem autem rationalem, quæ omnes circumstantias considerat, non poterat aliud velle, quàm Deus: intellige, voluntate efficaci & absolutâ.

Vt hæc res clariùs explicetur: Nota, ex 1. 2. q. 19. a. 10. & in dub. 1. humanam voluntatem posse esse triplaciter conformem diuinæ. Primò; Secundum se: quando Deus vult me hoc velle, quamuis ipse hoc non velit; vt patet in voluntate Abrahamæ, quâ voluit immolare Filium. Secundò; Quando est conformis in voluto materiali: vt quando eandem rem voluit. Tertio, In voluto formali; id est, quando volunt aliqua etiam diuersa, propter eandem rationem. Vt Daniel. 10. patet in voluntate Principis Persarum, & Principis Synagogæ.

Nunc Dico Primò, Voluntas humana Christi absoluta & efficax, quæ explicatur per *Volo, nolo*, semper fuit conformis diuinæ voluntati in voluto formali; id est, in ratione volendi.

Probat per Ioan. 4. v. 34. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me.* & cap. 6. v. 38. *Veni nina in vt faciam voluntatem eius, qui misit me.* & c. 8. v. 29. *Quæ placita sunt ei, facio semper.* Et alibi. Definita est hæc veritas in VI. Synodo act. 4. in epistola Agathonis, & 17. in definitione fidei. Vide Iansenium Episcopum Gandensem in illud Matth. 26. *Verum tamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Ratio est; Quia hæc conformitas est necessaria, vt voluntas humana sit honesta: atqui voluntas Christi maximè fuit honesta; vt qui semper in omnibus Dei gloriam spectauerit: quod etiam spectat Deus.

Dico Secundo; Voluntas humana Christi absoluta & efficax, semper fuit conformis diuinæ, etiâ in obiecto materiali. Est communis Doctorum in 3. dist. 15. vel. 17. D. Thomæ hæc & infra q. 21. a. 4. Ratio est; Quia Christus non poterat absolutè velle, quod Deus absolutè nolebat fieri. Cum enim clarè videret in Deo, quidquid ipse absolutè in quaque re volebat; videbat contrarium esse impossibile, saltem ex suppositione: vnde supposita eâ visione non poterat absolutè voluntate conari in contrarium; quia voluntas absoluta non est impossibile, quamuis impossibilitas sit ex suppositione.

Dices, Christus poterat considerare in suis cruciatibus, solum naturæ incommodum, non considerando actu diuinâ ordinationem, aut hominum vtilitatem: ergo poterat illud obiectum ita consideratum, absolutè nolle.

Respondet, Saltem per scientiam beatam non poterat vti illa præcisione: vnde non poterat iudicare contrarium absolutè eligendum. Per scientiam autem infusam, poterat quidem speculatiuè considerare cruciatum sine ordinatione diuinâ; tamen

10
4. Obiect.
Ex præuisione futurorum.

Refellitur.

Christus præuidit suas actiones, quia erat facturus, non contrâ.

Vnde infallibilitas actionum Christi.

11
Distinguitur.

Triplex est formitas voluntatû diuinæ & humanæ.

12
Absoluta Voluntas Christi

fuit conformis diuinæ voluntati in voluto formali.

Item in voluto materiali.

tamen practicè, seu in ordine ad electionem voluntatis, non poterat: quia tunc necessarium erat omnia considerare, quæ prudens electio postulabat.

13
Voluntas
inefficax
non fuit
semper cõ-
formis di-
uina in vo-
lito mate-
riali.

Dico Tertio, Voluntas Christi interdum habuit motus simplices & inefficaces, qui non erant conformes diuinæ voluntati in re volitæ; tamen secundum se semper erant conformes, vel etiam secundum rationem volendi.

Vbi aduerte, In Christi voluntate fuisse interdum motus inefficaces, qui explicantur per *Vellem, nollem*, qui nihil aliud sunt, quàm simplex complacentia aut displicentia: habuitque voluntas hoscet motus non solum vt Natura, id est, vt fertur in naturæ commodum, vel fugit eius incommoda; sed etiam vt Ratio tum superior, tum inferior: Vt, cum volebat latere, & non poterat; cum volebat omnes conuerti, & neminem perire.

Prob. de
motu na-
turali.

Prior Pars de motu naturali, quem habuit voluntas vt natura: Probatur Matthæi 26. v. 39. *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Hic motu naturali refugit mortem; cum tamen diuina voluntas vellet ipsum suscipere mortem, cui se hic subiicit. Dices; quomodo hic motus erat consentaneus rationi, cum discreparet à voluntate diuinâ? Respondet; Etiam si discreparet in obiecto materiali, tamen ipse motus secundum se erat conformis rationi, ac proinde voluntati diuinæ: quia ratio excitabat & imperabat hunc motum secundum Dei voluntatem; idque partim ad demonstrandam veritatem naturæ humanæ, & passionis acerbissimam; partim ad excitandam in se maiorem tristitiam. Adde; Probabile esse etiam in beatis tales motus voluntatis naturales esse posse; vt, ad Resurrectionem corporum: quod insinuat Apoc. 6. quamquam etiam ij in illis sint liberi quoad exercitium.

Tales mo-
tus sunt
etiam in
Beatis.

Prob. de
motu Ra-
tionali.

Quod autem non solum motus voluntatis naturalis, sed etiam rationalis, poterat dissentire à voluntate diuinâ in voluto materiali, siue esset in ratione superiore siue inferiore: Probatur; Quia id docet D. Tho. in 3. dist. 17. q. 1. art. 2. quæstion. 3. & Gabriel eadem distinctione. Et Scotus dist. 15. Et patet Marci 7. & Matth. 9. vbi Chri-

stus volebat latere, & non poterat: quæ voluntas non erat ex inclinatione ad commodum aliquod naturæ, sed ex aliquâ honestâ ratione: vnde pertinebat ad voluntatem, vt Ratio est. Similiter volebat omnes saluari, neminem perire; quod tamen Deus absolute non volebat. Ratio est; Quia in his actibus exercendis poterat esse aliqua honesta causa pertinens ad rationem superiorem, vt honor Dei, & salus proximi: Vnde illi motus erant ex inclinatione Rationis superioris, & non Naturæ. Nec mirum hoc videri debet, quia etiam in beatis, & in ipso Deo, suo modo tales velleitates & nolleitates esse possunt.

Sunt etia
tales vel-
leitates in
Beatis.

Ex quibus patet altera Pars; scilicet, hos motus conformes fuisse diuinæ voluntati, siue secundum se, siue in obiecto formali.

ARTICVLVS VI.

Vtrum in Christo fuerit contrarietas Voluntatum?

Respondetur; In Christo absolute non fuit Appetituum contrarietas. Est fide terendum: vt patet ex Epistolâ Agathonis in VI. Synodo act. 4. & act. 17. vbi absolute definitur, quod voluntas humana non reluctabatur diuinæ. Idem definitur in Concilio Lateranensi sub Martino I. can. 15.

14
Voluntas
humana
Christi
nunquam
reluctante
fuit diui-
na.

Patet ex dictis; Quia voluntas humana Christi absolute, erat conformis diuinæ in voluto materiali, & formali: inefficax autem erat conformis eidem diuinæ voluntati, vel in voluto formali, vel saltem tamquam operatio suæ regulæ; nam Deus volebat Christum pati tales motus: ergo etiam erat conformis voluntati humanæ absolute & efficaci: ergo nulla erat contrarietas, *Volo enim & nolo* sunt contraria; sed hæc in Christo circa idem simul non fuerunt; sed tantum *Volo & nollem*; quæ nihil repugnant. Denique omnes Christi voluntates erant secundum virtutem; vt patet ex supra dictis: ergo nulla inter eas erat contrarietas.

QVÆSTIO XIX.

De Operatione Christi & Merito.

In Quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum in Christo sit tantum vna Operatio?

1
R
Espondetur; In Christo sunt duæ operationes; altera diuinitatis, altera humanitatis. Est de fide definita in VI. Synodo, act. 2. 4. 8. 13. 17. contra Cyrum, & Theodorum, & alios Monothelitas, qui asserabant tantum vnicam voluntatē & operationem

Monothelitas.

esse in Christo. Item in Concilio Lateranensi sub Martino I. cap. 10. & sequentibus.

Nota; Hæreticos qui ponebant tantum vnicam voluntatē in Christo, posuisse etiam tantum vnicam operationem, scilicet ex parte vnius principij operantis; vt sicut omnes nostræ actiones sunt humanæ voluntatis, vt pote ab ea elicite vel imperatæ; ita omnes actiones Christi, essent actiones diuinæ voluntatis tantum ab eâ elicite vel imperatæ; quæ diuina voluntas id faceret in Christo, quod voluntas humana facit in nobis. Hæc videtur illorum hæreticorum sententia; sed refutatio